



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§.1. Proponitur Christi argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

I. 4. 11
sentia totius regni nobilitatis tanta cum desperatione ut rumor fuerit in via venenum potasse ut vitæ suæ ignominiam citius arumperet. Post mortem octodecim illi nomina imposita, quorum quindecim totidem honoris tituli erant quasi per gradus crescentes dignitatum usque ad supremam Papæ in Anglia posteriora tria gradatim decrecebāt ulque ad nihilum. Hic exitus est politicorum & mundi sapientum qui super infirmis adeo fundamentis se stabilire quærunt & humanos favores præferunt gratiæ & benevolentiae divinæ exemplo hujus infelicis Volseij cuius extrema verba hæc refert Sanderus: Ego quia regis non Dei gratiam quæsi, hinc Dei gratiam amisi & regis non acquisi.

CAPUT V.

Quintum motivum ductum ex diversis instantiis quas Christus Dominus facit argumentando à majore ad minus, & à minore ad majus.

§. I.

Proponitur Christi argumentum.

Aliud motivum efficax quod Christus Dominus in primis urget ad excitandam

dam in nobis fiduciam super omnia circa res
temporales, circa quas illa infirmior videtur
& remissior, Magistri eloquentiæ appellatur
argumentum à majori ad minus aut è contra
à minori ad majus. Quo divinus ille Orator
frequenter usus est tamquam validissimum
præcipuè in hac materia, cui ut sua lux afflu-
geat magis omnibus, deducam nonnihil
explicabo literali & vulgari paraphrasi. Illud
igitur proponitur apud S. Matthæum cap. 6
à Christo Domino ijs verbis, quæ sanè apud
nos plus etiam valere debent, quam apud
illos Apostolos tunc cum ea audiebant, siquæ
dem Christum Dominum nondum viderant
subiisse mortem Crucis, nec instituisse sacro-
sanctum pretiosi corporis & sanguinis susce-
pimentum in salutem animarum nostrarum,
sicut nos eum fecisse jam novimus, id quod
pondus addit his instantijs.

§. II.

*Prima instantia: Qui curam habet anima
sua, habebit & corporis.*

NE solliciti sitis anima vestra quid mandu-
cetis, neque corpori vestro quid induamini,
nonne anima plus est quam esca, aut corpus
plusquam vestimentum. Perinde ac si diceret
cælestis Magister in persona sanctissimæ